

Decima.

Decima : Nihil sibi violentum est; sed si v. g. lapis projiciatur sursum, mouetur violentus; si verò motus illius lapidis non distingueretur ab illo lapide, lapis esset sibi violentus, quod repugnat.

Resp.

Respondeo sursum proiectum lapidem sibi esse violentum, nihil esse aliud, quàm quoddam motore extrinseco continuè aliter, & aliter se habeat; non habet autem hoc per aliquem fluxum aduenientem intrinsece, sed ab extrinseco agente.

Vndecima.

Vndecima : Si motus non distingueretur à mobili, nec motus etiam distingueretur à termino; ergo terminus & mobile erunt idem, iuxta illud axioma, *Quæ sunt eadem vni tercio, sunt eadem inter se.*

Resp.

Respondeo, motum, in quantum est motus mobilis, non distingui à mobili; & motum, in quantum motus est, seu tendentia ad terminum *ad quem*, non distingui à termino *ad quem*; cum motus nihil sit aliud, quàm id quo res se habet aliter, & aliter; at mobile sese habet aliter, & aliter, quàm antea; & ita motus mobilis non erit aliud à mobili; quia verò mobile, & terminus sunt diuersæ entitates; ideò motus mobilis, & motus termini erunt diuersæ entitates; non tamen motus mobilis, & ipsum mobile. Item nec motus, seu tendentia ad terminum, & ipse terminus; sed erit vnum quid, quia terminus in via, & in motu nihil est aliud, quàm ipsa forma, quatenus partibiliter acquiritur, & se habet aliter nunc, ac antea: vel dic potius, vt supra, motum non sumi pro eo, quod mouetur, scilicet pro mobili; sed pro illo, quod successiue, & partibiliter in mobili acquiritur, vel deperditur, & proinde motus erit essentialiter, & entitatiue suus terminus; non tamen motus erit ipsum mobile.

Duodecima.

Duodecima : Quando aliquid repugnat vni, & non repugnat alteri, illa non sunt eadem; sed partibus motus repugnat esse simul; partibus verò, v. g. caloris, non repugnat esse simul; ergo &c. res enim permanens potest esse in instanti, non autem res successiua.

Confirmatur, nulla res est sua acquisitio; sed motus est acquisitio termini; ergo motus, & terminus non sunt eadem res.

Resp.

Respondeo: Non sunt eadem connotatiue, concedo; at non repugnat esse eadem entitatiue: aut concessa maiore, dic ad minorem: partibus motus repugnat esse simul quoad suum acquiri successiuum, concedo; quoad suum esse quietum, nego; motus enim in esse quieto est ipsamet qualitas acquisita per motum, quæ cum acquiritur, acquiritur successiue, & tamen est eadem entitatiue, dum acquiritur, & dum est acquisita: quare erit eadem qualitas aliter, & aliter se habens, absque tamen mutatione sui, aut acquisitione nouæ entitatis. Itaque dum acquiritur successiue, repugnat quoddam acquiratur in instanti; sed hoc non impedit, quin sit eadem, dum acquiritur, & dum est acquisita.

Ad confirmationem dices, nullam rem secundum eundem statum posse esse suam acquisitionem; bene tamen secundum diuersum: vnde qualitas, prout partibiliter, continuè, & successiue producit, est acquisitio sui ipsius, quoad esse quietum,

Expositis principalioribus pro vtraque opinione fundamentis, vtraque probabilis relinquatur; attamen in via Realium posterior hæc sententia defendi nequit; quia supponit alia multa fundamenta, ad doctrinam Nominalium spectantia, quæ non solent recipi à Realibus; & ideò; quia in doctrina Realium hæcenus frequentius ambulauimus; ideò pro nunc in eam etiam, vt pote tutiorem diuertimus.

Restat examinare breuiter dicta Aureoli; *Quædam dicta Aureoli examinantur.*
Qui quidem dicit motum nihil aliud esse, quàm generationem partis post partem: quod probat, quia non est ipsa forma, eò quod motu transeunte maneat ipsa forma: non etiam partes formæ, quia illæ partes motu transeunte manent: non etiam est fluxus illarum partium; nam fluxus nihil est aliud, quàm successio secundum prius, & posterius, prout scilicet pars posterior dicitur aduenire priori, sed prius, & posterius non sunt ille motus; ergo ille fluxus non est motus. Sed certè in re ipsa hæc opinio coincidit cum opinione Nominalium, quod enim vocat generationem partis post partem, vocant Nominales acquisitionem partis post partem, & in hac acquisitione constituit motum: non sunt quidem partes formæ, vt sic; sed partes formæ, prout acquiruntur partibiliter: concedent quidem Aureolo Nominales motum non esse formam acquisitam; esse tamen formam, quatenus partibiliter acquiritur; at Reales dicunt motum esse aliquem fluxum, quo partes successiue, & continuè acquiruntur: Ad rationem verò Aureoli improbantis fluxum esse motum. Respondebunt fluxum esse id, quo partes sibi succedunt, seu quo posterior succedit priori: vnde motus non est quidem prius, & posterius; sed illud, quo vnus est prius, & alteri posteriori, ipsique priori succedit.

Alterum dictum Aureoli, videlicet motum respicere formam vt terminum, verum est apud Nominales, in hoc sensu; quod motus, seu res, quæ partibiliter acquiritur, respiciat seipsam, seu tendat ad seipsam, secundum esse permanentem spectatam; at Reales vt verissimam admittent illam propositionem: *motus respicit terminum*, id est fluxus respicit, & tendit ad formam in esse quieto.

Negabunt verò Reales, quod postea dicit Aureolus, nempe motum esse subiectiue in suo termino; nam dum est terminus, iam amplius non est motus: quare est tantum subiectiue in mobili; saluari tamen poterit aliquo modo illud dictum Aureoli, *Motus est subiectiue in termino*, in hoc sensu, res dum fit, postea vbi facta est, dicitur esse subiectiue in seipsa facta, sicut essentia Nominalis: id est antequam sit extra causas, potest dici recipi in seipsa, postquam est extra causas posita; sed non videtur ita propria loquutio; quare falsam simpliciter existimo, tamen in opinione Realium; tum in opinione Nominalium hanc propositionem, *Motus est subiectiue in suo termino*.

Partitio IV.

De Vnitate Motus.

DE vnitate generica, & specifica procedit difficultas, à quoniam videlicet desumatur, an à termino à quo, an à termino ad quem? Terminus à quo est ille, vnde incipit motus: Ter-

minimus